



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

Disputatio Secunda. De distinctione numerica peccatorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

DISPUTATIO SECVNDA de distinctione numerica pec- catorum.

QVÆSTIO PRIMA.

Unde sumatur distinctio numerica in
peccatis mere internis

S. PRIMUS.

Auctorum sententia.

Distinctio numerica peccatorum alia physi-
ca est, moralis alia: Distinctio physica ad
confessionem parum refert, ut bene tradit
P. Suar. disp. 22. sect. 2. num. 6. Licet enim Concilium
Trident. sess. 14. cap. 5. & Canon. 7. definiat, necessa-
rium esse, omnia peccata sigillatim confiteri, id in-
telligi debet, non de omnibus sigillatim physicè, sed
moraliter. Sicut licet præcipiatur, omnes species con-
fiteri, non de omnibus physicis, sed moralibus intelli-
gendum est: Ut ibidem cum utroque Soto docet P.
Suar. quem sequitur Card. de Lugo disp. 16. sect. 3. num.
104. Verum cum difficile sit cognoscere, quando plu-
res actus physici, non plures moraliter, sed unus cen-
sendi sint: hoc in præsentem indagandum aggredi-
mur. Et primum de actibus, & peccatis mere inter-
nis, undenam sumenda sit distinctio numerica in his
peccatis?

1. Prima sententia asserit, plures voluntatis actus,
circa idem objectum, non efficere plura numero pec-
cata, nisi per penitentiam, aut actum contrarium in-
terumpantur. Ita Catus apud Vasq. q. 91. art. 1. dub.
5. Quam sententiam, licet Vasq. falsam appellet; &
incredibilem apparere dicat Suar. disp. 22. sect. 5. num.
9. plures tamen Doctores amplectuntur, inter quos
Ludovicus Lopez tom. 1. cap. 31. Martin. Delrio de
Magia lib. 6. cap. 1. sect. 3. Arag. 1. 2. q. 62. art. 8. ad pri-
mum, Garcia de Benefic. 3. p. cap. 1. num. 138. Petr. de Le-
desma in sum. lib. 2. de Penit. cap. 37. Petr. Fai, Fillarca.
Joann. dela Cruz, Pitigian. & alii, quos congerit
Diana 3. part. tract. 4. resol. 98. & Marcus Serra 2. 2.
quæst. 62. art. 8. §. dicendum 3. & dicendum 4.

3. Omnium fundamentum est, quia ad distinctio-
nem numericam moralem, requiritur, inter volun-
tatis actus, interruptio moralis, quoties autem hæc
non fit per penitentiam, aut actum contrarium, non
est interruptio moralis, sed tantum physica: ergo
non est distinctio numerica moralis. Minorem pro-
bant. Nam quando aliquis habuit voluntatem ali-
quam, & eam non retractavit, censetur moraliter in
illa perseverare: ergo quamvis sæpius eandem vo-
luntatem iteret absque prædicta retractione, ean-
dem voluntatem moraliter censetur habere, &
consequenter idem numero peccatum committere;
ideoque confessioni satisfaciet, si pluralitatem illam
physicam actuum per modum unius peccati confi-
teatur: Dicens: accuso me de uno peccato de desiderio
fornicationis.

4. Doctrina ista confessionario aptissima est, Ca-

thedra verò difficillima. Primo, quia ex eo precise,
quod peccator voluntatem præteritam non retracta-
verit, non potest dici moraliter perseverare in actua-
li peccato, sed habitualiter tantum; semel enim præ-
terita voluntas non magis durat, quam perjurium se-
mel præteritum duraret in eo, qui doloris actum non
eliciuisset: dicemus ne moraliter in actuali perjurii
peccato perseverare, & perjurium aliud novum, cir-
ca eandem materiam post mensem commissum,
idem numero peccatum cum præcedenti constitue-
re? Absit. Ergo hæc non retractatio non sufficit, ut
plures actus physici unum peccatum constituent,
alias, qui singulis mensibus voluntatem fornicandi
habuisset, de qua nunquam penituisse, unicum tan-
tum peccatum committeret, quod exterminis vide-
tur absurdum. Secundo: Illi actus physici disti-
guuntur numero moraliter, qui malitias morales nu-
mero distinctas habent: sed actus, qui propter tem-
poris interruptionem physicè distinguuntur, tales
sunt; ergo distinguuntur numero moraliter. Minor
probat, quia malitias morales distinguuntur in sub-
iectis, quibus insunt, sed insunt actibus numero di-
stinctis: ergo numero distinguuntur moraliter; quo
cessat fundamentum contrariæ sententiæ.

5. Eminentiss. noster Lugo disp. 16. sect. 14. num. 361.
sententiam Cati, & aliorum ingenua quadam limi-
tatione defendit. Docet igitur plures voluntates
physicè interruptas unum peccatum constituere;
quoties ita inter se comparantur, ut una ab alia de-
pendeat. Explicat, ut si quis v. gr. cogitans de homi-
cidio eodem, absque nova aliqua deliberatione, me-
mor voluntatis, seu deliberationis præcedentis, illud
iterum desideret, seu de illo delectetur. Ratio est,
inquit, quia illæ voluntates physicè interruptæ verè
habent inter se aliquem ordinem, cum una influat,
& determinet ad aliam. Si enim intentio physica
determinans ad electionem medii hodie faciendam,
tunc cum illa constituit peccatum, quamvis heri
habita fuerit, cum intentio eadem determinans hodie
ad aliam intentionem, seu complacentiam circa idem
objectum, non constituit unum peccatum cum illa?
Secus autem, ait Lugo dicendum, quando una volun-
tas in aliam non influet, sed viso objecto, de novo
quis se determinaret ad illud desiderandum. Tunc
enim illæ voluntates, si notabiliter inter se distarent,
plura numero peccata constituerent. Ad hanc cogi-
tationem ansam arripuit ex P. Vasquez supra dub. 5.
num. 10. ubi Canum impugnat; * quia nullam, in-
quit, continuationem video in his voluntatibus, cum
una ex alia non dependeat. * Et ex Suarez supra sect.
5. num. 11. ubi refert ex aliorum opinione, actus mo-
raliter continuari, ex eo quod reditus ad similem ac-
tum, quasi naturaliter fit, sine nova deliberatione.

6. Non inficior Card. de Lugo, intentionem unam
ab alia, non minus quam electionem dependere pos-
se. Cæterum hoc non videtur sufficere ad unitatem
peccati, in ordine ad confessionem constituendam:
alias, qui modo haberet intentionem efficacem ac-
cedendi ad sceminam, & post annum memor huius
intentionis cogitans de eodem objecto, absque nova
deliberatione, illud iterum desideraret, seu de illo
delectaretur, non committeret novum peccatum in
confessione explicandum. Insuper si post oscula, &
tactus, ex intentione operantis ad copulam ordinata,
occasionis defectu, ad plures dies differretur, idem
cum illa postea subsequuta constituerent peccatum.
Quod nemo conceder. Ergo quod una voluntas ab
alia dependeat, sive tanquam electio, sive tanquam
intentio, vel unitas ordinis intet duos actus valde
distan-

distantes, non plene suadet unionem moralem sufficientem ad illorum confessionem per modum unius peccati: aliàs explicatà copulâ, & nulla facta mentione de osculis, & tactibus, in prædicto casu, præcepto confessionis satisficeret, quod Cardin. de Lugo non admittit.

7. Secunda sententia tenet, quamcumque physicam interruptionem interiorum actuum, sive voluntariam, sive involuntariam, utpotè ex distractione naturali, vel somno proveniente, sufficere ad multipliciter numericam peccatorum. Probat: quia illi actus interrupti talis naturæ sunt, ut quilibet suam malitiam moralem habeat, quorum malitia nequit una fieri, absque aliqua continuatione: sed nil intercedit, in quo tales actus continentur, cum nil mediet, ratione cuius, possit homo dici a moraliter peccare. Ergo, &c. Secundò: quia postquam cessavit prima voluntas, jam homo actu non peccabat. Ergo quando repetitur, incipit actu peccare. Ergo est unum, & aliud actuale peccatum: ergo sunt re ipsa plura peccata. Ergo, ut plura confitenda. Quia præceptum confessionis, supposita distinctione, quam inter se peccata habent, ad illa declaranda obligat: aliàs idem esset, peccata distinguere numero moraliter, quod distinguere in ordine ad confessionem: ac proinde committeretur circulus: nimirum idè distinguere moraliter, quia sunt ut plura confitenda, & idè esse ut plura confitenda, quia distinguuntur moraliter. Hanc sententiam tenent P. Vasq. q. 91. art. 1. dub. 5. à num. 10. quem sequitur Merat. disp. 16. dub. 3. & argumenta convincere re esse veram, ait P. Suarez. supra num. 17. Alii verò, licet existiment cum P. Vasq. per quamcumque cessationem, sive voluntariam, sive involuntariam, interrumpi peccata interna, addunt tamen, ultra hoc requiri, quod cessatio sit per aliquod temporis spatium, nempe unius diei, ut ait Ochagavia tr. 2. de confes. q. 15. aut saltem dimidiæ horæ, ut cum Fagund. & aliis putat probabile Leander disp. 8. §. 7. q. 6. dummodo non retractetur propositum per pœnitentiam, aut actum contrarium.

§. II.

Nonnullis prænotatis, propria sententia stabilitur.

8. **D**edi superius de numerica distinctione duplicem sententiam, quarum primam, ut nimis laxam, non admisi, & secundam, ni fallor, ut nimis strictam rejeci. Quapropter mediam aggrediendo viam, aliquid de utraque sententia assumam. Quid ut felicius præstem, suppono primò: rectè stare posse, quod peccata sint in se, & coram Deo distincta, quin numero distinguantur in ordine ad confessionem. Quidquid contradicat P. Suarez. supra num. 15. Ipse enim velit, nolit, admittere tenetur, ut exemplis, ab ipso, & à communi sententia admissis, manifestè convincitur. Nonnulla specimina præsto. Conveniunt Doctores, oscula, & tactus antecederetia copulam, & ad illam ordinata, unum numero peccatum, cum ea subsequuta, constituere: quod, ea præcisè explicata, sufficienter explicatur, licet resita evenire possit, ut aliquando tactus inpu-dici præcesserint, aliquando non. Modò sic: certum est, oscula, tactus, & copulam sigillatim suas habere singulares malitias: ergo inter se distinguuntur, non solum in esse physico, sed in esse morali, seu

in ordine ad Deum: est enim quodlibet eorum suo objecto peccatum mortale; quod autem ad copulam, ut dispositiones antecedant, non tollit eorum malitiam, & multipliciter numericam, ut bene advertit P. Fagundez 2. præcepto Eccles. lib. 3. cap. 5. num. 14. Sunt igitur ejusmodi oscula, & tactus plura peccata in se, & coram Deo, & tamen non sunt numero distincta in ordine ad confessionem, ut debent communiter Doctores: Ergo in omnium opinione admittendi sunt aliqui actus in ratione peccati distincti in se, & coram Deo, qui tamen in ordine ad confessionem non sint moraliter distincti. Immediata enim successio duplicis malitiæ numero distinctæ, non facit, quod ex utraque unum numero peccatum constetur: ut constat in duplici fornicatione sine interruptione physica.

9. Urgetur, in opinione strictiori, quam adhibemus ex P. Vasq. & Suarez. assertentibus, plures voluntatis actus tunc unum peccatum constitutere, quando voluntas prima manet in aliquo actu, seu operatione, qui sit illius effectus. Tunc enim, inquit, licet actu cesset prima voluntas, manet in effectu illam numero malitia moralis, quæ ante erat in voluntate. Undè cum postea voluntas repetitur, eadem prioris malitia continuatur; quia voluntas repetita non causat in actione aliam malitiam numero distinctam. Ex hac doctrina argumentum concilio. Malitiæ, ut expressè fatetur P. Suarez. supra num. 14. distinguuntur numero moraliter, & in illis actibus numero distinctis; sed actus voluntatis, qui modè existit, est numero distinctus à præcedenti: ergo habet malitiam numero distinctam. Confirmatur, quia duplex actus amoris Dei immediatè elicitur, habet duplicem bonitatem moralem: ergo duplex actus odii immediatè elicitus habet duplicem malitiam. Ergo illa peccata interna numero distinguuntur, non tantum physice, sed etiam in ordine ad Deum, & tam ad displicentiam, quam ad penam: & tamen omnes Doctores affirmant, non debere, ut numero distincta explicari. Ergo, &c.

10. Urgetur secundò aliis exemplis in hac, & in disputationibus enodandis v. g. confessorii: expectis confessiones multorum in statu peccati mortali: & illius qui pluries perjuravit, seu blasphemavit, seu verba injuriosa uno continuato sermone protulit: quorum singula, manifestum est, coram Deo peccata numero distincta, & tamen in ordine ad confessionem non sunt talia, ut expressè fatetur cum aliis P. Fagundez 2. præcepto Eccles. lib. 3. cap. 5. Ergo, &c. Hæc fundamenta mihi probant in omnium opinione tenendum, peccata posse esse distincta in se, & coram Deo, quin tamen in ordine ad confessionem distincta censentur.

11. Suppono secundò, distinctionem numericam moralem, aliam esse moralem in rigore metaphysico, aliam moralem humano modo. Distinctio moralem metaphysicè reperitur, quoties actus distincti in esse physico distinctas malitias habent: quales sunt actiones in præcedentibus relati, & alii, quibus non intervenit malitia ex intentione operantis, sed ex se ipsi: sunt: horum enim quilibet suam habet distinctam ad naturam rationalem, & quilibet independenter ab alio dissonat: sive inter unum, & alium detur interruptio, sive non. Quapropter non videtur, cur in esse morali, rigore metaphysico loquendo, non distinguantur. Distinctionem moralem humano modo eam voco, quæ in præcedentem hominum æstimatione talis reputatur. Hanc tamen non causat qualibet physica interruptio, sicut nec

quolibet distinctio actuum in esse physico, & malitia morali, ut exempla supra adducta satis demonstrant. His positis.

12. Dico primò: Quando Tridentinum obligat omnia peccata sigillatim confiteri, non obligat confiteri omnia, distincta moraliter metaphysicè, sed distincta moraliter humano modo. Hæc mihi suadent rationes allatæ, & innumeri casus à Doctoribus admitti, quorum plures in discursu hujus disputationis dabo, in quibus continuationem sufficientem ad unitatem moralem peccati, in ordine ad confessionem defendunt: Et tamen evidens est, metaphysicè loquendo, plura numero peccata intervenire. Dicendum igitur est, ea tantum peccata esse plura numero in ordine ad confessionem, quæ humano modo, seu in prudentum æstimatione plura reputantur; sic enim hoc Sacramentum, quoad obligationem confitendi, à Christo Domino fuisse institutum, intellexerunt communiter Theologi, & sic intelligendum Concilium: Et ita sine dubio sentit P. Suarez *disp. 22. sct. 5. n. 14. & 20.* ut testatur P. Oviedo infra citandus.

13. Dico secundò, distinctionem numericam humanam, seu juxta prudentum æstimationem, non inveniri in actibus voluntatis circa idem objectum iteratis, quoties interruptio actuum nimis brevis, & naturalis fuerit, absque speciali advertentia facta. Ita expressè P. Granado *contr. 6. de peccatis, tr. 2. disp. 5. num. 4. P. Agidius de Sacram. Penit. disp. 7. n. 31. P. Henricus lib. 2. de Penit. cap. 5. §. 2.* & in illam tandem venit P. Merat. *disp. 2. 6. sct. 3. nu. 2.* ubi ait, probabilem esse, utamque in praxi eorum opinionem, qui censent ea solum peccata recensenda, ut numero diversa, quæ non possunt moraliter secundum prudentem, & communem hominum æstimationem pro uno computari. Et P. Fagund. *2. præcept. Eccles. lib. 3. cap. 3. num. 14.* asserens, ad novum peccatum requiri physicum quoddam spatium, & physicam temporis interruptionem, arbitrio prudentis faciendam, quam ipse putat dimidiæ horæ. Nec dissentiet Card. Lugo *supr. sct. 14. citata*, ubi asserit, duas voluntates, quarum una influat in aliam, tunc plura peccata constituere, quando notabiliter inter se distant. Quod etiam tenet P. Salas *1. 2. tom. 2. tr. 13. disp. 5. sct. 8. n. 81.* Cajetan. Navar. & Grassius, apud P. Oviedo. *1. 2. tr. 6. de peccatis, controvers. 5. punct. 5. n. 103; quæ nu. 109.* eorum sententia assentitur. Nec aliud sentit Tamb. in *Method. lib. 2. cap. 5. §. 5. nu. 34.* ubi ait peccata multiplicari numero, quando tanta est interruptio actuum, ut nequeat moraliter censeri persistere eandem voluntatem, ac proinde debere explicari tempus durationis, si fuerit notabile, secus si breve. Quibus consentit P. Bauni *tom. 1. tr. 4. q. 15. dub. 9.*

14. Fundamentum hujus asserti est, quia talis interruptio non variat morale judicium humanum; ergo humano modo, & juxta prudentum æstimationem perinde res se habent, ac si nulla physica interruptio daretur. Secundò, quia quoties distractio talis est, ut voluntas ratione prioris commotionis, quasi naturaliter actum repetat, absque speciali voluntatis deliberatione; certum est, quod minus graviter peccet, quam si absque distractione aliqua per horam integram in turpi delectatione durasset: cur ergo majore obligatione tenebitur? Tertiò, quia interruptio physica, quæ in hoc casu intervenit, talis est, ut in prudenti æstimatione quis dicatur non cessasse per integram horam à turpi delectatione: ergo ratione eius interruptionis non multiplicatur numero peccata moraliter humano modo, licet metaphysicè multiplicentur. Igitur illi actus

iterati circa idem objectum censendi sunt veluti partes ejusdem peccati, quod aliquando minus, aliquando magis patet, ad eum modum, quo docet P. Vasquez *supr. de tactibus*, & osculis copulam præcedentibus, quæ in confessione, in omnium opinione, explicari non debent, & tamen certum est, quod plures distractiones reales frequenter in illis reperiantur.

15. Dico tertiò: interruptionem voluntatis habitam absque expressa intentione interrumpendi, sed quasi naturaliter, ratione alicujus negotii, aut alterius cogitationis occurrentis, aut sompionis cibi, aut somni, &c. quibus actionibus transactis, statim ratione prioris commotionis, iterum ad eandem quis redit voluntatem; non constituere plura numero peccata. In hac parte convenio cum Card. de Lugo, & Doctoribus citatis pro prima sententia, & consentire debent omnes pro nostra conclusione nuper allati. Ratio est, quia prima determinatio voluntatis in prudentum æstimatione non dicitur cessasse; potius dicere solemus, hominem perseverare in suo pravo proposito, ergo interruptio per somnum, vel occurrentiam alicujus negotii divertentis alio cogitationem, non constituit pluralitatem numericam moralem in ordine ad confessionem: ac proinde, juxta dicenda in sequentibus disputationibus, satisfaciunt penitens se accusans de una delectatione morosa; vel de una voluntate efficaci explendi libidinem; quia duratio temporis non debet in confessione explicari, juxta infra dicenda de circumstantiis aggravantibus.

S. III.

De distinctione numerica in peccatis externis.

16. Pater Vasquez *supr. dub. 5. citato*, & Pat. Merat. *disp. 26. sct. 3.* suis inherentes principiis, contendunt, actus externos peccaminosos toties discontinuari, & plura numero peccata constituere, quoties voluntas finis non perseveret, vel formaliter in se, vel virtualiter in medio ex illa procedente, ratione cujus continuo absque interruptione aliqua physica, verè, & in toto rigore metaphysico sit homo actualiter peccans; ac proinde undecumque proveniat, quod in aliquo instanti actualiter peccare destinat, ut distractione, vel somno, &c. inde multiplicitas, & distinctio peccatorum proventura. Quapropter si actiones externæ non habuerint inter se ordinem medii, & finis, semper efficient, juxta horum Doctorum sententiam, plura numero peccata. Alii verò è contra; unitatem peccati externi desumendam ajunt ex voluntate præterita non retractata. Ita Joannes de la Cruz in *direct. part. 2. de Sacram. penitent. quæst. 2. dub. 3.* Homobon. *part. 1. tract. 5. cap. 13. q. 83.* Pirigianus, Petrus Fai, & alii apud Lugo *infra num. 538.* Apud quem Coninch, & Henriquez asserunt, non ob stare unitati peccati externi interruptionem per somnum; stabunt etiam pro hac sententia omnes Doctores *supr. citati*, pro unitate in peccatis internis.

17. Ego verò universaliter pro omni peccato externo duplicem regulam generalem statuo. Prima sit, consequutio finis pravi, & exequutio mediorum ex vi intentionis præcedentis, idem numero peccatum constituunt, quoties actus interni voluntatis non discontinuantur moraliter, juxta dicta paragra-

pho

pho precedenti: & media, quae assumuntur ex se, mala non sint, vel si mala fuerint, ad finem naturae suae ordinantur, & malitiam speciei d. versam non continent. Exemplum primum sit, eius, qui ex intentione occidendi, in inimicum quaerit; enseni preparat, &c. Exemplum secundum: colloquia turpia, oscula, & tactus, quibus ad copulam pervenitur. Hanc regulam universalem tradit ex doctrina Pat. Suarez *disput. 22. sect. 5. num. 24.* & P. Vasquez *quest. 91. art. 1. dub. 4. num. 3.* & 7. Uterque enim ex communi Doctorum sententia ait ex fine, & medio is unum in genere moris resultare, & ex his omnibus unum consummatum peccatum coalescere, quia omnes isti actus interni, & externi ad unum opus ordinantur, & ex illius intentione procedunt. Et ut ait P. Suarez, ex metaphysica, unitas numerica etiam in actionibus non est semper ejusdem, vel aequalis rationis: nam aliquando ex simplici unitate; aliquando vero ex collectione plurium cum aliqua artificiosa compositione resultat. Ad hunc ergo modum, inquit, omnes illae actiones, censentur esse partiales, & componere moraliter unum peccatum, quia omnes ordinantur ad unum consummatum opus. Sic etiam ante illum discurrit M. Sotus in 4. *disput. 18. quest. 2. art. 4. post 8. argum.* ubi ait: *Notandum est, quod quando sunt plures partiales actiones ad unam integram concurrentes, satis est, finale illam confiteri. Quaevis quis arma, ut hominem occideret, armavit se, & exploravit, ubi esset inimicus: omnia quidem sunt peccata; sed tamen, si tandem occidit, satis est dicat, occidi hominem, & eodem modo, qui patratam fornicationem confitetur, non opus habet suavia, & alios tactus confiteri: *Sic Sotus.

18. Hinc fit, quod utrobique sufficit explicare in confessione finem obtentum, non explicatis mediis, ut cum P. Suarez, & Navarrot docet Coninch. *disput. 7. dub. 7. nu. 58.* (si forte peccatum tale sit, quod non sufficienter explicetur, non explicato aliquo medio, ut quando per mediaticem, quis fornicationem sollicitat). Si vero finis non obtineatur, nec cessarium erit fateri intentionem, & saltem in genere se accusare, aliqua adhibuisse media ad eius consequentiam, ut ait Coninch supra. Imò, quando media ex se mala sunt, putat ipse, debere omnia singulatim explicari, dicendo: toties fornicationem fuisse osculatum, toties tactus inhonestos cum illa habuisse. Verum hoc non iudico necessarium, sed satisfacere, si dicat, se illam osculatum fuisse, vel tactus inhonestos habuisse ex intentione copulae, non explicato numero; quia omnes ejusmodi actiones sunt unus actus in genere moris, sicut de pluribus injuriis respectu ejusdem personae, & de pluribus per juriis eodem continuato sermone prolatis, docet cum Zanardo Diana 1. *part. tract. 7. res. 51.* & 3. *part. tract. 4. res. 163.* & cum Azor, & alius tenet Lugo supra num. 561. Quod si unius mediis exequutio distet ab exequutione alterius, aded, ut censetur distincta numero moraliter intentione procedere, eo quod interruptio notabilis interveniat: & non solum naturalis, ex his quae frequenter in actibus humanis reperiri solent, per prandium, per somnum, per diversionem brevem ad alia occurrentia, &c. non constituitur unum peccatum ex intentione finis, & exequutione mediis, ac proinde tenebitur poenitens, juxta veriorum sententiam, ut peccata numero distincta in confessione explicare, si vero media ex se mala non sint, sed ex fine tantum malitiam sortiantur, censet Vasquez 1. 2. *disput. 76. num. 18.* necessarium non esse in confessione illa explicare. Sed satis, inquit, videtur si dicat, habui

intentionem occidendi inimicum * cui coheret Pat. Salas *tom. 2. in 1. 2. quest. 73. dub. 5. sect. 8. numer. 1.* Sed non assentior, quia accipere enseni & habere arma ex intentione occidendi inimicum, vere sunt peccata, quae inexplicata relinquuntur, per solam impressionem pravae intentionis occidendi; debet ergo in genere se accusare de mediis adhibitis, per speciem, vel numerum explicare necesse non est, quia eorum distinctio physica tantum est.

19. Secunda regula sit: quotiescumque plures actus externi in prudentum estimatione reputantur partes integrantes unius actionis humanae, unum numerum peccatum constitunt, si eodem modo, & finis inter se habeant, si non. Ita tenet Cardin. Lugo *disput. 16. sect. 14. a numer. 540.* Et licet debent pro hac sententia omnes Doctores, & 2. pro nostra sententia allati, & P. Fagundez supra, qui habet unitatem moralem ex pluribus actionibus constitutam magis explicat, dicens: in peccatis momentaneis, ut in blasphemis injuriis, contumeliis, perjuris, & de tractionibus, requirit aliquando ad distinctionem numericam inter capedinem, unius quadrantis, aliquando minus. In successivis vero, qualia, inquit, sunt peccata odii, & amoris, requiritur dimidia horae, plus minusve inter capedinem. Et non iniquitatis, quod numero peccata committat, qui illis amoribus involutus, sollicitat feminam, & accipit; respondet, spatium temporis notabile, de sufficiens ad multiplicanda numero peccata, esse, si per dimidiam horam plus minusve, ab exercitio persequutione mulieris cessaverit. Et sic tenent expressè Bauni supra §. 3. assertio. Candidus de conf. *disput. 24. articulo 22. dubio 10.* & Tamburini in *Moralibus*, lib. 2. cap. 1. §. 8. Hujus regulae ratio petenda est ex dictis §. praecedenti; scilicet, quia una actio humana externa, unum peccatum externum est. Ergo quotiescumque plures actiones in prudentum estimatione unam, veluti ex partibus constitutam efficiantur, non plura numero peccata moraliter sunt, sed unum moraliter, licet in rigore metaphysico plura numero reperiantur.

20. Quando autem plures actiones una ad humana censenda sint; ex prudentum judicio dependet: quapropter non ratione, sed variis exemplis adhibitis demonstrabo. Una dicitur recitatio orationis, licet quis inter unum, & alterum Psalmum, aliquo temporis intervallo, dormiret; vel occurreret aliquo negotio horam interromperet. Et censetur commensio sacramentalis, licet Sacerdos, post communionem suam, de Eucharistia mille percontetur; & postea sumat particulam reliquias, ut videtur Lugo supra. Praeterea, una comestio est una actio humana, licet aliquando interruptio physica interponatur: Ut si, verb. grat. ad legendam Epistolam, vel excipiendum hospitem è prandio surgas, & ita rim redeas, ut docent P. Azor 1. *part. lib. 7. cap. 11. quest. 1.* P. Reginald. *tom. 1. lib. 4. cap. 14. num. 177.* & alii.

21. Imò, dum quis surgat animo postea comestum, eandem reputari comestione, licet longa detur interruptio, tradit Bonacina de legibus, *disput. ult. quest. 1. punct. 3. num. 10.* Quam inter interpretationem ad spatium duarum horarum extendit Joannes Sanchez in *selectis*, *disput. 52. num. 4.* Quod si abique animo deinde surrexerit, & tamen postea, mutata intentione, velit iterum ad prandium redire, eandem repetitionem, si intra quadrantem, vel post instauratur, docent Flinckius *tom. 2. tract. 1. cap. 10. quest. 10.* & Molfessius in *Sum. tom. 1. tract. 10. cap. 5. num. 27.* Ex quibus fit, juxta horum Doctorum

rum opinionem, non fracturum jejunium, qui cum aliqua ex prædictis interruptionibus unam confessionem efficeret, & consequenter semel tantum peccatum, qui in die venisset, prædictis interruptionibus, carnes ederet: nam cum moraliter una censetur comestio, ex pluribus partibus conflata, unum tantum erit peccatum in ordine ad confessionem. Horum tamen Doctorum aliqui nimis laxè loquuntur, quapropter eorum opinioni non adhareo, ni modica fuerit interruptio.

22. Secundo: Omisio restitutionis per plures dies non constituit plura numero peccata, ni voluntas retinendi per contrariam voluntatem fuerit interrupta, quia non restitutio singulorum dierum moraliter censetur pars unius omissionis ex pluribus conflata: ac proinde unum tantum peccatum in genere moris, etiam si voluntas non restituendi fuerit pluries repetita. Ita docent Navarro lib. 4. de restitut. cap. 4. num. 9. Tanner. 2. 2. disp. 4. quæst. 6. dub. 14. num. 425. Card. de Lugo disp. 16. sect. 14. num. 549. Aragon, Malderus, Rodriguez, & Sayrus, quos refert, & sequitur Diana 1. p. tract. 1. Miscel. resol. 25. Neque obstat, quod interruptatur per impotentiam restituendi: nam cum quis dormit, est pro tunc impotens, & tamen moraliter censetur una omisio, ut bene advertit Lugo.

23. Addit Lugo num. 551. posse fortasse aliquando stare unitatem actionis, & peccati non restituendi, etiam si voluntas retinendi revocata fuerit per contrariam voluntatem, seu propositum restituendi: probat; nam si in die jejunii proposuisset quis in fine prandii non plus comedere, & priusquam à mensa surgeret, novum aliud ferculum ei offeratur, poterit comedere, non obstante proposito illo, quia continuatio illa ratione loci, & temporis sufficit ad continuandum illud prandium, ut docent Lessius, Layman, Villalobos, Filliuc. & Diana, apud Lugo supra: Ergo idem prorsus dicendum est de omissione restitutionis ratione temporis continuata. Ex quo exemplo infert Lugo, eum, qui, prædicta interruptione per contrariam voluntatem facta, carnes ederet in die prohibito, unum tantum peccatum commissurum; nam quando statim mutatur animus, eadem videtur comestio moraliter, ac si per contrariam voluntatem non fuisset interrupta. Hæc doctrina est valde notanda, quia singularis, & casus frequenter occurrens. P. Gran. apud Diana 5. p. tract. 14. resol. 51. licet non conveniat cum Lugo in unitate peccati omissionis restituendi, existimat tamen cum Navarro, & Reginaldo, eum, qui aliquoties doluerit de culpa, & proposuerit restituere, non teneri explicare interruptionem actuum, sed sufficere explicare tempus detentionis voluntaria.

24. Tertiò: tactus, & oscula libidinosæ subsequentia copulam, unum peccatum cum illa constituant, nec debent in confessione explicari; sed sufficit confiteri copulam. Ratio est, quia licet in se male, & turpia sint, & secum afferant delectationem prohibitam, tamen in genere moris ex copula, & ex tactibus, & osculis subsequentibus, unus congressus, & una actio humana inhonesta coalescere reputatur: ejusmodi enim actiones, & tactus se habent, ut complementum copulæ. Ita contra P. Suarez disp. 22. sect. 5. num. 26. & contra Valquez quæst. 91. dub. 5. n. 33. docent P. Gran. 1. 2. controver. 6. tract. 2. dub. 5. n. 11. P. Salas 1. 2. tom. 2. tract. 13. disp. 5. sect. 8. n. 9. P. Fagundes 2. præcept. Ecclesiæ lib. 3. cap. 4. n. 4. Card. Lugo supra num. 554. Henriquez, Navarro, Azor, Sanchez, & alii, quibus subscribitur Diana 1. p. tract. 7. resol. 42.

25. Idem docet Navarro in Manuali Confessorum cap. 6. num. 17. de reliquis accessoriis substantiæ peccati, ut si quis delectetur de copula habita, aut verbis, vel factis demonstret sibi placuisse: hic enim, inquit, satisfaceret confitendo præcisè fornicationem. Et in fine addit, hoc esse verum, licet inter præambula, & subsequentia ad substantiam peccati, sit aliqua notabilis interruptio, quod etiam tradit Joannes Sanchez in select. disp. 6. num. 9. intelligendum tamen ait, quando is, qui fornicationem commisit, ad alia negotia agenda neutiquam se divertit, sed in eodem situ, & statu, quo peccavit perseverat, detinens feminam ad deosculandum, & colloquendum. Vel si fortè fœmina discesserit ex utriusque conventionione, expectet reditum ad iterum deosculandum, & colloquendum. Vide Leandrum disp. 8. §. 6. quæst. 8. & 9. ubi totam hanc doctrinam amplectitur.

QVÆSTIO II.

An tactus, & oscula, quæ præcedunt absque intentione copulæ, si hæc postea subsequatur, debeant in confessione explicari?

1. **S**I ex intentione copulæ procedant, conveniunt communiter Doctores, ut supra diximus, non debere, sed copulam tantum explicare, præcepto confessionis satisfieri. Difficultas igitur solum est, quando ejusmodi tactus, & oscula absque intentione copulæ, solo animo in illis sistendi, habita fuerunt, & tamen copula fuit postea subsequuta. Doctores, qui in hanc dubitationem inciderunt, communiter affirmant debere explicari, & non sufficere copulam tantum confiteri. Ita P. Valquez supra dub. 5. num. 27. P. Gaspar Hurtado de Penit. disp. 9. diff. 6. Lugo supra num. 556. & Diana 4. part. tract. 4. resol. 20.

2. Contrariam verò sententiam tenuit quidam recentior, quem suppresso nomine refert Diana supra, & tuetur Leander disp. 8. §. 6. quæst. 10. addens ita etiam sentire recentiores aliquos à se consultos. Quos sequitur R. P. Delgadillo tom. de Penitent. cap. 17. dub. 85. numer. 194. & assentitur P. Oviedo 1. 2. tr. 6. controvers. 5. de peccatis, punct. 3. num. 63. licet non sit ausus clarè asserere. Sed ego probabiliter assero, non debere explicari, & efficaci ratione probabo. Quia, ut omnes Theologi fatentur, tactus & oscula ex sua natura magis ordinantur ad copulam subsequentem, quam ad antecedentem: imò ad istam plures ordinari negant: sed licet ex intentione operantis non ordinentur ad copulam antecedentem, sed in delectatione ex ipsismet actibus percepta sistatur, non faciunt distinctum numero peccatum à copula, nec debent in confessione explicari, ut supra probavi. Ergo licet ex intentione operantis non ordinentur ad copulam subsequentem, sed in eorum delectatione sistatur, si tamen postea copula subsequatur, non constituent diversum peccatum, nec debent in confessione explicari. Quibus, ni fallor, enervatur fundamentum, quoad aliter sentientium motus est Card. de Lugo; nimirum tactus secundum se, quando in ipsis sistitur, habere malitiam specie distinctam à copula. Sed quidem mirum foret, non esse distinctam speciei, quando in ipsis sistitur, & copulam, ut concedit ipse Lugo supra num. 554. & tamen

distinctæ speciei esse quando ante illam. Præterquam quod, ut ait P. Vasquez *suprà* num. 28, tactus, & oscula totam malitiam habent ex copula, ad quam natura sua ordinantur, licet aliquando ex voluntate operantis, quia ipse ibi sistit, non ultra procedant. Ergo eandem habent malitiam, ac si ex intentione operantis ad copulam referrentur: ordinatio enim extrinseca non est in diversa specie à relatione intrinseca. Quibus satis favet Sanchez *lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 7.* dum ait: * Amplexus, & oscula ob delectationem habita, suapte natura, & intrinsecè ordinantur ad copulam, tanquam circumstantiæ illius, &c. At circumstantiæ intrinsecæ actus participant eandem ipsius malitiam: quare talis delectatio est inchoatio copulæ carnalis. * Ergo inter virum, & feminam malitiam copulæ participant, licet in ipsis sistatur: sicut inter duos viros, aut duas feminas malitiam sodomie; quia ad hunc negandum concubitus ordinantur: ut cum Gersono, Nieva, & aliis docet ipse Sanchez *num. 8.* Quæ expressius tradit *num. 70.* dicens: * Satis esse, ut malitiam copulæ participant, ad illam ordinari. *

3. Deinde sibi met contrarius videtur Cardinalis de Lugo: nam ut eadem *disp. 16. sect. 5. à num. 238.* & præcipue *num. 242.* expressè tenet: malitia tactus, prout est de delectatione ex contrectatione illicita, & turpis, non distinguitur specie à malitia copulæ, prout est etiam contrectatio illicita, & turpis (licet, in eius sententia, aliam malitiam superaddat copula.) Ergo explicata malitia copulæ, nulla malitia specie distincta manet inexplorata. Deinde est moralis continuatio inter tactus, & copulam: ergo quod copula superaddat malitiam specie distinctam, non probat, tactus, & oscula debere in confessione explicari; sed debere explicari copulam, ne aliqua species malitiæ inexplorata maneat.

4. Confirmatur exemplo; quod cum communi sententia admittit Lugo. Si femina haberet votum solius virginittatis, quod violatur per copulam, si post eam immediatè continuaret tactus libidinosos, hi tactus non haberent malitiam contra votum, quia hoc cessavit per copulam, per quam amisit virginittatem, & tamen non debent in confessione explicari, quia faciunt idem peccatum contra castitatem cum copula præcedenti: ut docent Henricus *lib. 5. de Pœnit. cap. 5. num. 5.* & Diana plures referens *1. p. tract. 7. resolut. 42.* & 3. p. tract. 4. resolut. 67. & tenet ipse Lugo *suprà* à num. 239. Ubi reddens rationem, inquit, * Quia tactus subsequentes faciunt idem numero peccatum cum copula, in quo peccato, licet quoad aliquam partem sui, non habeat malitiam sacrilegii, sufficit, quod eam habeat, quoad aliam. * Hæc Lugo: & bene quidem. Sed quare idem in nostro casu non dicit: nempe tactus, & oscula constituit unum moraliter cum copula, etiam si ex illius intentione non procedant. In quo peccato, licet quoad aliquam partem sui, non sit illa malitia distincta speciei, quàm adstruit Lugo in copula, est tamen quoad aliam. Præterquam quod reliqui Doctores eam negant: quia oscula, & tactus totam speciem malitiæ copulæ habere videatur; unde tactus dicitur fornicatio inchoata, ut ait P. Vasquez *quæst. 91. dub. 5. num. 33.*

5. Tandem probatur: nam qui absque intentione peccandi se exposuit periculo, non tenetur, subsequuto peccato, confiteri periculum, cui se exposuit, nisi per unum, & alterum notabilis mora in- docet ipse Lugo *disp. 16. sect. 4. §. 7.* Sanchez *quæst. 91. dub. 5.* Villalobos, Aragon, & alii, quos citatos

sequitur Diana *1. p. tract. 7. resolut. 44.* Sed quibus oscula, & amplexus absque intentione copulæ, subicitur periculo illius; ergo eà subsequuto non tenetur confessio explicare. Dicendum igitur est prædictos tactus, & oscula subsequuto, explicari, copulæ præcisè explicari, si quis verò si non subsequatur: ut omnes Doctores docent, etiam in casu, quo ex intentione copulæ procedant, ut *suprà* docuimus.

QVÆSTIO III.

An plures copulæ, absque interruptione morali, unum numero peccatum constituent?

S. I.

Affirmantis sententia. Auctores, & fundamenta.

1. **E**X dictis in præcedentibus dubitari potest: An plures copulæ, ratione continuationis morali, idem numero peccatum in genere moris efficiant? Partem affirmativam tenet Maldonado *1. p. Directorii de Sacramento Pœnit. cap. 13. ubi dubiis pro confessione, & circumstantiis, §. 5. in fine.* ubi sic. * Non solum dico tactus, & oscula ante copulam unum constituere peccatum cum copula; sed etiam si accedant post copulam, & non amplius novam copulam ordinantur. Et si post illa sequantur nova copula, & esset deliberata antea, quia quando iuvat dormitum cum illa muliere, determinatur per totam noctem delectari cum ea carnaliter, tamen formaliter acciperentur per modum unius delectationis, & peccati continuati formaliter. Et idem de eo, qui deliberavit tres viros occidere, & postquam unum occidit, alterum interfecit, & deinde tertium: vel iuvat dormitum cum duobus solus, eodem animo cognoscendi carnaliter utrumque. Nam quamvis in confessione sint explicanda per se distincta, & cognita, ad hoc ut cognoscatur gravitas peccati in eadem specie: per hoc tamen non efficitur, quod ista sint multa peccata homicidii, vel fornicationis formaliter, quia eadem remanent voluntas delectationis, & finis, quæ actiones specificant, & distinguunt formaliter. * Hæc ibi. Quem sequitur Antonius Verardus sacre Theolog. Doctor in Summa Corona Confessorum *1. p. cap. 2. de confessione num. 19. in fine.* In summa, inquam, Italice confitetur. * Tradotta di Latino in vulgare, & ampliata in istello Autore, edita Venetiis anno 1550. ibi expresse ait: * Qui se fa dubio, si un huomo dormendo una notte con una cortigiana conoscesse quella tre, o quattro volte, fara forse bisogno, dir al Confessorio, tante volte li ho conosciuta in una notte. * Navarrete dize cheli: perche son atti distincti, & uno non è ordinato all' altro. Sylvestro de lestrario. Ma per acesom modare questi duo Dottori, potremo dire, che si uno conoscedo una donna, non pretendeva usar più di una volta: è doppo fatto, delibera di novo, tanti peccati distincti saranno, quanto nove deliberationi farà. Ma si propone doppo con quella, è tutta la notte goderia, quanto puo, se la conoscesse tre volte, è un peccato, perche

tutti insieme considerati son ordinati ad un fine. Chiesara goderla tutta la notte. * Hæc ibi.

2. Eiusdem sententiæ est Archangelus Rubeus *disp. 16. fol. 189. apud Leandrum de Sacram. tom. 1. de Pœnit. disp. 8. §. 7. quæst. 8.* Quia it, hanc sententiam iudicasse probabilem quosdam Recentiores, quos ipse consuluit. Et videtur ipse adhæsisse tom.

4. de Censuris, tract. 1. disp. 3. quæst. 44. ut constat ex indice: ubi verbo fornicatio, sic habet. * Fornicationes plures successivè absque temporis interruptione unam post alteram committens, unum solum mortale committit. * Sic ibi. Licet in compositione questionis, tanquam quid certum oppositum statuat, discrimen constituens inter plures occasiones successivè (quas unum peccatum constituere, quæstione præcedenti statuerat) & plures fornicationes: dicens unicâ actione plures occidi posse, sicut, & unicâ absolutione plures absolvi; non verò posse unicâ actione ad plures fœminas, sicut nec plures ad eandem accessum contingere: quia * repugnat, inquit, omnino, quod actio fornicationis efficiat, quidquid sequentes efficiunt; aut earum effectum attingere, & ideo hæ actiones nequeunt ita conjungi inter se, ut pro unicâ adhuc in genere moris reputentur, benè tamen aliæ assignatæ. * Sic ille. Sed mens non plenè quiescit; quia ut ipsemet Leander defendit tom. 1. tract. 5. disp. 8. §. 8. quæst.

18. Sacerdos qui in peccato mortali existens pluribus administrat Eucharistiam (dato lethaliter delinquere) unicum peccatum mortale committit. * Quia in genere moris, inquit, unica est illa actio. * Et tamen manifestum est, quod unica actione non potest pluribus Eucharistia ministrari, & quod prima administratio non facit, quidquid sequentes efficiunt. Igitur id non impedit, quod plures actiones unicâ in genere moris reputentur. Quapropter Dicatillo tom. 2. de Sacram. tract. 8. disp. 9. dub. 2. num. 79. * Si ratione, inquit, agamus, opinio Zanardi tam probabilis est, atque doctrina de occasione trium in eodem conflictu, seu pugna. * Cui accedit Cardin. de Lugo tom. de Pœnit. disp. 16. sect. 14. num. 557. Et P. Ouedo i. 2. tract. 6. contrap. 5. part. 5. num. 115. eodem modo philosophandum putat de habente plures copulas successivè, ac de illo, qui plures confessiones audit in peccato mortali. De quo infra.

3. Ideo sententiam Zanardi multis suadere conatur Caramuel in Theolog. fund. in 1. editione, fundam. 19. fol. mihi 213. ubi ait: * Si quis unico luxuria impetu ad multas fœminas accederet, & à fortiori, si plures ad eandem, unicum peccatum committeret. * Et infra: * Sicut de perjuriis, & blasphemis, ita de homicidiis, & fornicationibus in hac materia est philosophandum. * Hæc Caramuel, & ante illum Rever. D. Marcus Scafellæ de Tolentino in Summa Italice scripta; cui titulus, *Giardino di sommissi* i. p. cap. 125. n. 11. ubi sic ait: * Si domanda? Uno dormi con una donna, è la conoblete, ò più volte; se commisse tre, ò più; ò pur un sol peccato? * Respondetur: * Quando proposse veramente, è determinatamente tutta la notte conoscerla, senza determinare una, ò più volte; haver commesso un sol peccato, per la indeterminatione; ma se con animo deliberato di conoscerla molte volte, tante volte pecco, &c. Onde un sol peccato faria ad un vecchio per due volte sole; che quella hauesse conosciuta, quanto ad un giovane, che dieci volte. Perciò che fu l'intentione, è la voluntate conoscerla tutta la notte il vecchio, & il giovane. *

Parti II.

4. Hujus sententiæ fundamentum est, quia si ob aliquam rationem una copula non constitueret unum peccatum cum alia, maxime, quia singula sunt actiones completæ & totales; hanc autem rationem nil probare, pluribus suaderi videtur. Primò, quia singula perjuria sunt actus completi, & totales, & tamen si uno continuato sermone ter, vel quater quis perjurasset, non teneretur numerum in confessione explicare, quia idemmet peccatum perjurii constituunt, ut docent Lugo *disp. 16. sect. 14. num. 561.* Azor & alii, quos citat, & sequitur Diana 3. p. tract. 4. resolut. 163. Præterea qualibet blasphemia est actus completus, & totalis, & tamen plures blasphemiarum ratione unius impetus, & continuationis uniuntur moraliter in ordine ad constituendum unum peccatum, ita ut plures una censeantur, ut ait Diana cum Fagundes, & Trullench. 6. p. tract. 8. resolut. 38. & tenet Lugo cum Molina supra: ergò licet singula copulae sint actus completi, & totales; si tamen uno continuato accessu, vel uno impetu committantur, unum peccatum mortale constituent, neque opus erit numerum in confessione explicare; nulla enim videtur esse ratio, cur eadem occasio sermonis possit unire moraliter perjuria, & blasphemias, & una conversationis occasio non possit fornicationes unire.

5. Secundò: Confessarius, qui in peccato mortali confessiones multorum excipit, unum tantum mortale committit, nec teneretur personarum numerum in confessione explicare, ut cum Rodriguez tenet Diana i. p. tract. 7. resolut. 43. Cardin. de Lugo *disp. 16. sect. 3. & sect. 14. nu. 558.* Fagundes 2. precepto Ecclesiæ lib. 3. cap. 5. n. 91. Leander à Sacramento *disp. 8. §. 8. quæst. 19.* Escobar in Sum. tract. 7. ex. 4. cap. 7. nu. 38. Bauni tom. 1. tract. 4. q. 15. §. Dubitatur quarto, & putat probabile Tambur. opuscul. 1. de confessionibus lib. 2. cap. 1. n. 55. Et tamen qualibet absolutio est actio completa, & totalis, & tot sunt absolutiones, quot personæ. Ergò. Respondet Lugo ubi supra absolutiones continuari intentione absolvendi omnes subditos, & irreverentiâ contra Christum. Bene: sed cur idem non dicit de pluribus actibus fornicationis. Nimirum continuari intentione peccandi cum fœminâ quantum possit, & in oppositione contra eandem virtutem. Quapropter magis consequenter P. Ouedo supra eodem modo in utroque casu philosophandum tradidit.

6. Terriò: Plures actus externi completi, dum ab eadem voluntate procedant, idemmet numero peccatum constituunt; ergò idem de pluribus actibus fornicationis dici potest. Antecedens tradit M. Paludanus, quem refert, & sequitur M. Dominicus Baltanas in Margar. Confess. fol. mihi 136. ibi: * Nota, quod in voto negativo non bibendi vinum, toties est mortale quoties agitur contra illud, si iteretur actus interior; & exterior; non autem si solum actus exterior, secundum Paludanum, quia peccatum per se est in actu interiori: Unde si unico actu voluntatis vult furari plura, quoad Deum unum peccatum committit, licet plura fureretur, secundum iudiciū hominum. * Cui forsā principio innixi Recentiores quidam apud Ledesma in Sum. de Pœnit. lib. 1. cap. 16. dub. 1. post tertiam conclus. asserunt, eum, qui decem vicibus surripuit quantitatem mille aureorum, non teneri explicare in confessione numerum actionum, sed quantitatem furatam, nimirum, quia uniuntur in unica volitione, qua fuerint volitæ, & ex qua processerunt, ut complementum: sicut & plures

A a

plures

plures omissiones restitutionis, etsi in se completæ, dum ab eadem voluntate, continuantur, & unum peccatum constituunt. Ergo similiter plures actus fornicationis eadem ratione uniri poterunt.

7. Quartò: Prima copula, & oscula illam subsequencia sunt idem numero peccatum in genere mortis, ut cum pluribus supra docuimus: Deinde hæc eadem oscula, utpotè antecedentia ad secundam copulam unum moraliter peccatum cum illa constituunt; ergo, & copula ipsæ inter se. Hæc consequentia valde urgere videtur, quia si secunda copula est idem peccatum cum osculis præcedentibus, & hæc eadem oscula idem cum prima copula, quam subsequantur; quæ sunt eadem univertio, sunt eadem inter se. Ergo prima, & secunda copula, utpotè idem moraliter peccatum cum osculis intermediis, idem moraliter peccatum sunt. Hanc illationem esse legitimam, & necessariam ex opinione asserente, oscula subsequencia ad copulam idem cum illa peccatum constituere, tradunt P. Vazquez. *quest. 91. art. 1. dub. 5. n. 31.* & P. Suarez *disp. 22. sect. 5. n. 26. in fine.*

§. II.

Negativa, & vera sententia.

8. **N**ihilominus contraria opinio sententia tenenda est. Quam certissimam jure vocant Leander à Sacram. *tom. 1. tract. 5. de Poenit. disp. 8. §. 7. quest. 8.* Et Castro Palao *tom. 1. tract. 2. disp. 3. punct. 1. in fine.* ubi ait: * Unum tamen est omnino indubitatum apud omnes, coitum unum non esse viam ad alium, ac proinde etiam si mox post alium sequatur, necessariò est peccatum distinctum in confessione manifestandum. * Quos sequuntur Card. de Lugo *tom. de Poenit. disp. 15. sect. 14. n. 557.* & cum Vazquez, Bonacina, & aliis P. Oviedo ubi supra. Diana *3. p. tract. 4. resol. 67.* & communiter Theologi. Ratio est, quia communi omnium persuasione plures copulæ non solum physicè, & metaphysicè distincta numero peccata sunt, sed moraliter, & humano modo; ac proinde nullum est caput excusationis, cum non reputentur partes ejusdem actionis humanæ, sed actiones totales diversæ. Quod aliter contingere in exemplis allatis, docent Doctores, qui pro illis militant, quibus dissentire debent, qui in opinione, & disussu de multiplicitate peccatorum in ordine ad confessionem nobiscum sentiant. Adde si fundamenta superius allata aliquid suaderent, idem probarent de pluribus copulis cum diversis feminis, dum ab eadem voluntate, quia absolutiones, etiam conferuntur diversis, & tamen ut Adversarii contendunt, non idè tollitur unitas moralis ex intentione agentis; sicut nec pluribus convitiis uno continuato sermone; licet alia sint contra Deum, alia contra Sanctos; unum enim numero peccatum constituunt in ordine ad confessionem, ut cum Cajetan. Valentia, & Azor, tradit Diana *1. part. tr. 7. resol. 50.* Ergo, quod plures copulæ cum diversis feminis haberentur, non impediret unitatem moralem peccati. Quod sanè valde absurdum est, & à nemine concedendum.

9. Idem consequenter dicendum censo contra Zanardum, & F. Leand. à Sacramento. questione præcedenti citatos, & contra F. Ludovicum à Concept. in *exam. veritatis, tom. 1. tract. de Poenit. casu 5. num. 15.* asserentes plures occisiones successive, eadem con-

tinuata actione, unum esse peccatum. Cujusmodi est, quia singulæ occisiones sunt actus completi, & totales, & unus non est via ad alium; nec ullam tatem inter se habent in æstimatione moralis, sed unus post alium succedit; ita & unum peccatum potest in esse morali actiones, in suo ordine absolute completas, & adequatas, & à diversis actibus voluntatis executioni mandatas; licet ab unica intentione procedentibus; id enim actibus eorum diversæ speciei contingere potest; ut si unico actu, qui tendet et fornicationem, homicidium, & furtum, & successive hæc executioni mandaret. Et tamen nemo audebit dicere unum ex illis resultare peccatum in individuo, ad plures pertinens species. Quod rō tenendum, quando non plures actus extrinsecis cisionis plurimum, sed unus interveniat, quæstioni sequenti indagabimus.

10. Ad fundamentum solidius pro contraria sententia, responderi potest, secundam copulam esse idem peccatum cum osculis præcedentibus, directionem verò ab illis, ut subsequenter, quia secundum diversas rationes ad distinctas actiones humanarum pertinent. Sunt enim aliqui externi actus habentes certos terminos, in quibus consummantur; & alii ad fornicationem, in communi sententia, ut continet plures fornicationes, plura inferri damna proli, quæ in morali æstimatione peccata multiplicat in de morali. Sicut, & quando plura læduntur jura, alia in esse physico, & metaphysico, idem peccatum censentur; quod secus in præsentis contingit cum plura esse, etiam metaphysicè, utpotè plures actus, suos singulos habentes malitias, dabitur non possit.

QVÆSTIO IV.

Utrum, qui unica actione pluribus injuriam infert, ut si unico ictu decem occidat, unicum tantum peccatum committat?

§. PRIMUS.

Affirmantis sententia Auctores.

1. **P**arte affirmativam defendunt Joannes Pontius, Ordinis Minorum in *curso Theologicæ, disp. 45. quest. 7. conclus. 2. nu. 53.* Martinus de S. Joseph. in *Monitis, tom. 1. lib. 1. tract. 1. de Poenit. num. 4.* Constantinus de Castro in *Collatione Theologiae moralis, tract. 1. cap. 6. art. 3. sect. 3.* Quæ verba adducit Diana *part. 1. tract. 3. resol. 64.* Ubi dicit esse probabilem; & jam disceptaverat *1. part. tr. 7. resol. 17. & 19. & 5. part. tract. 3. resol. 59.* eandem sequuntur Remigius in *Somno tract. 1. cap. 5. §. 6.* & Leander à Sacramento. *tom. 1. tract. 5. de Poenit. disp. 8. §. 3. quest. 20. 21. & 22.* & iterum *tom. 4. de Poenit. tract. 1. disp. 3. quest. 42.* ubi concludit, dicens: * Et quidem illam esse probabilem satis aperte, & ex se affirmant, & probant Alterius Balizus, Canonicus & Cornejo. * Et tenet apud illum Bonacina *disp. 1. quest. 1. punct. 5. num. 7.* Pro eadem sententia in *tract. Mag. Bannez 2. 2. quæ 62. de jure, art. 8. in Commentariis art. in dubitat. circa conclusionem, in responsione ad 3. art. 2. ubi sic: * Ad tertium, ut respondeamus, multa necesse*

nō nobis dicenda sunt. * Et post pauca : * Dicimus quartū, quod qui uno posito expresso, vel interpretativo, retinet rem alienam, unum tantum peccatum committit. Ratio est, quia unus actus numero est moraliter loquendo, quando unica voluntate sequitur effectus etiam multiplex, præsertim si illa multiplicitas non est specifica, v.g. Si uno ictu occidat quis multos homines, unus actus est moralis æquivalens in gravitate multis. Sic ille.

2. Ejusdem sententiæ sunt M. Serra 2. 2. quæst. 76. artic. 3. ibi : * Si quæras, an qui plures homines simul malediceret, mortem eis optando, unum vel plura peccata committeret ? Respondetur, de hoc sicut de voluntate occidendi plures homines simul, varias esse sententias. Mihi probabilius videtur (attende) unum solum numero esse peccatum, tam physicè, quàm moraliter. * Mag. Acatius de Veleco tom. 2. resol. mor. verb. golpe, resol. 2. num. 5. ibi : * Es probable, que con un golpe, o una percussión hurtando a dos, o muchos Clerigos, no se incurrte mas de una descomunion, porque absolutamente solo ay una transgressión, y un solo pecado : y lo mismo digo de el que con una sola accion hurtados valos de plata de diversos duennos. Ni obsta, que de aquella accion se sigan muchos daños, supuesto que no ay muchos pecados, sino muchos efectos de un mismo pecado. * Quem sequitur Mag. Taja in Catena Morali, lib. 3. quæst. 4. art. 3. num. 9. Et Mag. Arauxo 1. 2. quæst. 73. articulo dub. 2. * Illa, inquit, occisio plurium hominum unico ictu, non est multiplex, sed unum dumtaxat peccatum æquivalens pluribus. * Quos sequitur Fr. Ludovicus à Conceptione in examine veritatis, tom. 1. tract. 5. de penit. casu 5. illatione 7. fol. mibi 444. ibi : * Infero septimo, occidentem plures ejusdem rationis homines unico actu, vel ictu, unico tantum peccato peccato. Sic à me consulti plures tenent Salmanticensis Magistris. * Et Rev. Pat. Fr. Christophorus Delgadillo tom. de Penit. cap. 17. dub. 64. num. 142. & utrum dubio 80.

S. II.

Duplex in Baronium animadversio.

1. Cum tot, ex doctissimis etiam Magistris Ordinis Prædicatorum, pro hac parte militaverint, & omnes fideliter Amadeus citavisset : deapertio tamen falsitatis crimine fol. 234. eum Baronius accusat, quod Magistrum Bannez, & Mag. Serram pro opinione præfata adduxerit. Verba ejus sunt : Bannez quo citatur loco, quæst. 61. artic. 8. nihil eorum præfatus habet, quæ illi adscribit Amadeus, conclus. 4. Trium illum articulum insinuat dubia. Primo, nullam distinguit conclusionem. Secundum sex conclusiones habet. Tertium quatuor, sed nullibi lego illud. * Dicimus 4. Qui uno proposito expresso, &c. * Hæc dico. Sed mirum nemini esse debet, homini majoribus distracto commilitonem legere non vacasse. Est tamen omnibus, quod adeo confidenter loquuntur : & mirabilis, quod Bannez citatum assignat conclus. 4. cum Amadeus non conclusionem 4. sed 5. dicendum 4. citatum adduxerit. Deceptus homo est, idem reputans apud Bannez paragraphum & conclusionem. Recolet quæso, pacato animo, articulum 5. citatum, in quo (ut ipse bene advertit), tria tantum dubia M. Bannez excitat : Et in

Pars II.

primo, in quo nullam distinguit conclusionem, in responsione ad 3. argumentum verba, quæ ab Amadeo conficta falso jactavit, fideliter excerpta reperiret. Sic enim M. Bannez ait, ibi : Ad tertium, ut respondeamus, multa necesse est nobis dicenda sunt. Primo dicimus parum referre ad mores, &c. Nihilominus dico secundo, &c. Dico tertio, &c. * (& postea §. immediato) Dicimus quartū, quod qui uno proposito expresso, vel interpretativo retinet rem alienam, unum tantum peccatum committit, &c. En amice lector, Baronum de prima falsa accusatione convictum.

4. Nec est major illi fides in secunda, fol. 234. Ub. post memorata M. Serra verba, quæ ipse insinuari non potuit, Amadeo nihilominus insultat dicens : * Quæ tibi fides in posterum Amadei, adeo aperta fraudis convicto ? * Sed ejusnam ? * Quia quæ sequuntur verba suppressit, (nempe quia sentiebat illis suam causam jugulari. * Quia tamen multis numero distinctis æquivaleret (ait Serra) aperiendum est in confessione, quot homines maledixerit. * Vera Baronius refert, sed extra chorum saltat : quia quæritio, quæ Amadeus hic versat, non est, an numerus personarum, quæ uno ictu læduntur, sit necne in confessione aperiendus : Sed, an unica actio plures lædens unum sit peccatum ? Et pro parte affirmante (ut ipse etiam Baronius fatetur) adduxit fideliter Magist. Serram, præcindens omnino à quæstione alia, de modo confitendi ejusmodi peccatum, quæ longe diversa est : In qua præfati doctores non conveniunt, sed alii personarum numerum exprimendum negant ; alii affirmant : quod probabilius videtur M. Serra. Quem proinde Amadeus, quando hanc secundam quæstionem exagitet, pro hac parte (licet contrariam censeat probabilem) illum adducere promittit, & ejus verba referre. Quando verò primam de uno vel pluribus peccatis attigit, ad rem non erant, ideoque prudenter omisit : non ergo quia illis suam causam jugulari sentiret, ut sua vota eleganter expromens, jactavit Baronius. Nullo igitur jure aperta fraudis Amadeum convictum garrat. Quinimò in ipsius caput calumnia cecidit.

S. III.

Authoris Judicium.

5. Prima conclusio. Qui unica actione plures lædit personas, ut si uno ictu decem occidat, unum tantum peccatum, metaphysicè loquendo committere, evidens ex terminis est, in sententia Thomistarum asserentium repugnare in eodem actu plures malitias solo numero distinctas, quod ex D. Thoma tradunt Cajetanus tom. 1. opus 6. 31. resp. 25. Mag. Nunnio in additionibus ad 3. part. quæst. 92. artic. 2. diff. 2. M. Serra 1. 2. quæst. 76. art. 3. Suarez, Filiucius, Layman, Duardus, Megala, & alii apud Dianam 3. part. tr. 4. de Sacram. resol. 164. Quos sequitur Vercelli tom. 1. q. mor. tract. 8. quæst. 17. Hujus conclusionis ratio apertissima est ; nam ubi unica tantum est malitia, & unus tantum actus, impossibile est multiplex esse peccatum, sicut & multiplex esse concretum, ubi nec forma, nec subiectum multiplicatur. Unde augetur admiratio anxietatis Baronii, in prætena excusatione Mag. Bannez ab opinione, cui nec ipse, neque alius verè Thomista, nisi Angelicum Doctorem deferat, dissentire potest.

Aa 2

6. Se

6. Secunda conclusio: licet plures numero malitiæ in eodem numero actu compatibles admittantur, unum tantum peccatum in una actione pluribus injuriarum inferente continetur. Hæc conclusio est expresse contra Pat. Azor. tom. 1. lib. 2. capit. 4. §. Secunda circumstantia, & lib. 4. cap. 4. quæst. 5. & 6. Ubi ait: * In altero à Navarro dissentio, quod puto, plura esse peccata, si uno ictu vulneraret, vel occideret plures. * Cujus rationem reddit quæst. 6. dicens: peccata plura numero fieri, tamen unus sit actus propter respectum ad objecta numero differentia. * Quem sequuntur Vazquez, Hurtado, Henriquez, Clavis Regia, & alii quibus consentit Diana 3. part. tract. 4. ref. 164. Conclusionem tamen nostram defendunt Card. de Lugo tom. de Pœnit. disp. 16. n. 134. sect. 3. Leander à Sacram. tom. 1. de Pœnit. t. 1. §. disp. 8. §. 3. q. 19. Tamburinus in Methodo expedita confess. lib. 2. capit. 1. §. 9. numer. 59. & Tancredi in qq. Moral. disp. 6. de Pœnit. quæst. 7. fol. 105. Et in rigore veram esse docet Vazq. 1. 2. disp. 74. cap. 2. num. 7. & consentit Pat. Oñedo 1. 2. tract. 4. contrav. 3. punct. 2. num. 26. Probatur: quia peccatum est concretum accidentale ex actu, & malitiæ, & concreta accidentalitæ, non multiplicatur per formas, sed per subiecta, licet autem multiplicetur malitiæ, non multiplicatur subiectum, quod est actus, non ergo erit multiplex peccatum, sed unicum, habens plures malitiæ, sicut unus est artifex, unus Dominus, unus Pater, licet plures artes, plures subditos, aut plures filios habeat. Secundò probatur exemplis in præcedentibus allatis, in quibus plures malitiæ, in diversis etiam actibus repetitæ, unum tantum peccatum constituunt, eò quod plures illi actus pro uno moraliter reputentur, v. g. in osculis, & copula subsequuta, in pluribus blasphemis eodem continuato sermone, in pluribus absolutionibus successivè collatis, & similibus. Ergò potiori jure plures malitiæ in eodem actu physico repetitæ, idem peccatum constituent. Si enim in diversis physice actibus adunantur, eò quod omnes illi actus una actio humana censeantur, quanto magis unientur in eadem actione physica?

7. Denique suadetur, quia ex hac sententia, nil contra bonos mores inferri potest, quod æquo jure non inferatur ex opinione Div. Thomæ, ejusque discipulorum, asserentium plures numero malitiæ non posse in eodem actu repetiri, cum expresse defendant unicam esse, licet plura numero objecta respiciat, quorum quodlibet seorsim ad actum graviter peccaminosum constituendum sufficeret. Ergò sicut in re morali nullum sequitur absurdum ex eo, quod unus actus externus, pluribus injuriarum inferens, unicam malitiam constituent, ita neque ex eo, quod plures malitiæ simul admittæ unum peccatum constituent.

(17)

QVÆSTIO V.

Utrum ad confessionem quidquam referat, unum, vel plura peccata in una actione pluribus injuriarum sa reperiri?

§. PRIMUS.

Vincentii Baronii placitum.

1. **P**artem negativam tueri Vincentii Baronius in opere contra Amadeum, disp. 2. fol. 223. & in hoc omnes convenire videtur pronuntiare non renuit: * Conveniunt, inquit, omnes idem esse juris, quoad praxim, & confessionem, id est, sincerè aperienda esse confessio, per uno actu odii optavimus, aut intulimus, vel universa vel eadem pluribus damna & mala.

2. Sed quidam homo cui, nec Diana opera, nec alibi fatetur, consuleretur, non mirum, quod nullum auctorem discrepantem inveniret. Dissertunt verò plures, quod nec Baronium ipsum lasceret, si vel Mag. Serra celebrem sui instituti auctorem consultasset. Legat illi quæ loquor supra citata, quæst. 76. artic. 3. & hæc inveniet: * Quævis enim unum sit peccatum (pluribus nimirum simul indicere) hoc tamen gravius est, quam si unus bonus malediceretur, unde, qui dicunt, circumstantias graves notabiliter esse necessariò aperiendas in confessione, asserunt, in ea exprimentum esse, quod fuerint homines maledicti, qui verò docent, solam esse necessariò confitendas mutantes (speciem) tendas rogo Baronii) dicunt satis esse constitutum maledixisse, & non esse opus exprimere, quod homines maledixerit. * Didicisti jam ex tuo communi, non omnes convenire, si unum tantum peccatum actione plures lædens involvat, idem esse jure quoad praxim, & confessionem. Sed tot contrarios tam assertum habere, quot negant obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes. Quorum longum syllabum dabo infra.

§. II.

Aliorum sententia referuntur.

2. **S**i plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu repugnent, non esse obligationem explicandi in confessione numerum peccatorum, quibus unica actione inferitur injuria, tradunt Mag. Acacius de Velasco tom. 1. resol. mor. verò, fol. 10. monio, num. 5. in fine, ibi: * Ballara que se acuta, ha echado una maldición, sin explicar a quantos hombres maldixo en ella. * Et Fr. Chastellanus Delgadillo tom. de Pœnitent. cap. 17. dub. 64. non ubi ait: Eum, qui eodem actu vult occidere decem homines, imò, & qui eodem actu illos occidit, non teneri explicare numerum objectorum. * Et verum dub. 80. * Idem dicendum de illo, qui una persuasionem inducit multos ad peccandum. * Et legitima illationem, ex principiis Div. Thomæ, & Thomistarum, censet P. Oñedo 1. 2. tract. 6. de peccatis, contrav. 5. punct. 6. num. 122. & sequentes peccatis, id est, fatetur Vazquez tom. 4. n. 1.

part. quæst. 91. art. 1. dub. 4. num. 8. Ubi postquam docuit, plures malitias, & idcirco plura peccata contrahere, qui unico ictu plures homines percuteret, ac proinde teneri ad numerum in confessione explicandum; subnectit: * Hoc dixerim in opinione hac, quam credo probabiliorem, in eodem actu esse possibile duplicem malitiam solo numero differentem, cujus contrarium non existimo improbabile, & secundum illam tenentur, qui eam sequuntur, dicere, eam circumstantiam non esse necessariam explicandam. * Sic Vazquez, cui adheret Dicastillo de Sacram. tom. 2. tract. 8. disp. 10. & sequitur Megala part. lib. 5. cap. 12. num. 4. ubi expresse adversus Aporium probat, quod si quis unico actu voluntati decem homines occidat, non tenetur numerum in confessione explicare. Cujus sententiam legitime deduci ex opinione Divi Thomæ, & aliorum, fateatur cum Vazquez, Diana 1. part. tract. de circumstantiis aggravantibus, resol. 17. dicens: * Ex hac secunda opinione apparet, objecta diversa numero non multiplicare peccata, sed tantum aggravare, & idcirco secundum illam dicendum, talem circumstantiam non esse in confessione aperiendam, ut recte notavit, licet contrariam sententiam teneat Vazquez, ubi supra. * Et iterum resol. 29. Inquirens; an sit necessarium explicare in confessione numerum personarum, quibus sit injuria? respondet: * Resolutio hujus casus pendet ex illa questione, utrum in eodem actu possint dari plures malitiæ solo numero distinctæ? Suarez asserit confitendum esse necessarium numerum personarum, sed magis consequenter loquitur Vazquez. * Scilicet, dum negat obligationem explicandi numerum personarum, juxta sententiam asserentem circumstantias notabiliter aggravantes, non esse necessario aperiendas in confessione.

3. Et loquentes de illo, qui unico voluntatis actu vellet plures homines occidere, aut ad plures feminas accedere, non teneri in confessione explicare numerum objectorum; tradunt Verricelli, Martinus de S. Joseph, & alii, quorum opinionem probabilem esse dicunt Trullench lib. 5. in Decalogum, disput. 3. part. 3. num. 7. & Diana part. 11. tract. 7. resol. 34. Subnectens eum, qui dum sepellit, plures habuit, pro objecto delectationis conjugatas, satisfacere, si in confessione dicat, habuisse pro objecto conjugatam: hoc inquam probabile dicit ex Martino de S. Joseph in Moniti confessor. tom. 1. lib. 1. tract. 11. num. 9. Qui sic scribit: * Quando uno tuno polucion con objeto de muchas casadas, no tiene obligacion a decir el numero: y aun es probable que complira con decir, que tuno por objeto muger casada, porque los objetos, que solamente son diversos en numero, no multiplican los peccados, sino solamente los agravan. * Quibus favent quotquot asserunt eum qui unico actu rem plurimum dominorum furatur, non teneri numerum personarum, quibus damnum infertur explicare, ut Mag. Serra 2. 2. quæst. 76. artic. 3. in fine, fol. mihi 655. Qui licet probabilius censuerit, numerum occisorum, uno ictu, in confessione explicandum, id tamen negat de numero damnificatorum uno furto. Rationem autem disparitatis reddit: * Nam hic formaliter, & expresse solum vult summam illam pecunie accipere, injuriam vero, quæ sit Dominis solum implicite. * Quod censet etiam Pat. Vazquez 1. 2. disput. 146. caput. 2. & tom. 4. in 3. part. quæstion. 91. articulo. 1. dub. 3. & alii ex ejus discipulis. Et absolute defendunt Diana part. 11. tractat. 7. resol. 34.

PART II.

Martin. de S. Joseph. ubi supra, Verricelli in quæstion. Moral. tom. 1. tract. 8. quæst. 17. numer. 2. Quia unus actus, sive internus, sive externus pluribus injuriam inferens, unum est peccatum: quod quidem licet pluralitas objectorum gravius constituat, non tamen est circumstantia speciem mutans: circumstantiæ autem aggravantes intra eandem speciem, non sunt de necessitate confitendæ, ut disput. 3. dicimus: Ergo nec numerus personarum, quibus damnum infertur. Syllogismus videtur recte concludere, si præmissæ constiterint. Quarum similitudinem D. Thomas defendit, ut constet partim ex dictis, partim ex dicendis disp. sequenti, quæst. 1.

4. Addunt alii idem prorsus dicendum, licet plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu reperiri possint. Ita Cardin. de Lugo tom. de Penit. disp. 16. sect. 3. num. 135. & 139. & 141. Leander 2. Sacrament. tom. de Penit. tract. 5. disp. 8. §. 3. quæst. 20. & 26. & Tamburinus in Methodo expeditæ confess. lib. 2. cap. 1. §. 9. num. 59. Probant. Quia plures malitiæ solo numero distinctæ in eodem actu unum tantum numero peccatum constituunt: ut diximus quæst. 4. num. 6. præceptum autem confessionis solum obligat confiteri species, & numerum peccatorum, non malitiarum: de hoc enim explicando non invenitur præceptum. Deinde probatur, quia præceptum confessionis non obligat ad explicandam distinctè totam malitiam individualement peccati, ut fatentur omnes, qui negant obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes: pluralitas autem malitiarum in eodem actu, cum peccata non multiplicet, ut supra probavi, solum potest idem aggravare intra eandem speciem; unde ad rationem circumstantiæ aggravantis reducenda est, ut de quantitate furti loquentes tradunt Doctores infra citandi; & de intensione actus ferè omnes fatentur; & de peccato ex mediis executione, & finis intenti consequutione confato, unanimiter docent Theologi. Cujus ratio à priori est, quia juxta meliorem philosophiam, species est tota essentia metaphysica individui, ac proinde explicato clarè peccato quoad speciem, explicatur clarè quoad suam essentiam. Non est ergo unde teneamur totam malitiam indirectè individualement explicare, & sic tradit D. Thomas in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. ad 2. Quantitas (inquit) culpe, quæ est ex specie peccati, debet immoescere sacerdoti per confessionem, non quæ ex circumstantiis quibuscumque. Non est ergo obligatio explicandi in confessione numerum personarum, quibus unico ictu injuria infertur.

5. Et quod mirabilius; Doctores etiam qui unum peccatum ex pluribus actibus externis ab uno voluntatis actu imperatos, resultare censent, similiter asserunt, non esse obligationem explicandi in confessione numerum actuum exteriorum. Sic Mag. Zanardus 1. part. Directorii, capit. 18. quoad circumstantiam. * Quando. * fol. 204. §. 5. loco, ubi sic: * Similiter, qui per noctem cum amata dormivit, non est opus, ut dicat, ego eam per tot vices cognovi, sed feci, quod potui; dummodò non habuerit interruptionem mentis, vel operis. * Quem sequitur Archangelus Rubeus distinct. 16. fol. 169. apud Leandrum tom. de penitent. disput. 8. §. 7. quæst. 8. inquit, quod licet quis cognoverit feminam tribus aut quatuor vicibus in una nocte, satisfacit, si in confessione dicat: * se habuisse unà nocte rem cum muliere. * Quam sententiam ait Leander, judicasse probabilem Recentiores quosdam, quos

Aa 3

196

ipse consuluit. Et tenet Maurus Antonius Verardus Sacrae Theologiae Doctor in summa Corona confessor. 1. part. cap. 2. de circumstantiis, numer. 19. cuius verba dedimus *supr.* quest. 3. numer. 1.

6. Ex opinionibus relatis liquet, quantum ad rem moralem referat quaestio illa metaphysica de uno, vel pluribus peccatis in eodem actu, seu in pluribus exterius ab uno actu voluntatis procedentibus, & quot, quantique Magistri ex hoc principio quoad praxim, & confessionem diversum jus adstruxerint. Quapropter minus bene scripsit Baronius *supra*, omnes convenire idem esse jus, sive unum, sive plura peccata in unico actu pluribus iniuriis concedantur.

§. III.

Propria sententia duplici conclusione explicatur.

1. Si prima. Integritati confessionis non satisfacit, qui peccatum non explicat vocibus confudentibus saltem totam malitiam individualement illius. Ratio est, quia praecceptum confessionis obligat ad subiiciendum clavibus idemmet moraliter individuum peccatum commissum, cui non est satis, dum aliquid pertinens ad substantiam individui peccati dicitur, quod illi non conveniat, vel quod aliud esse indicet: v. g. Si quis furatus fuisset centum, & se accusasset quinquaginta subripuisse, non confiteretur peccatum, quod fecit, quia verba haec aliam quantitatem significant & alium voluntatis actum; ac proinde nec confusè subiceret peccatum, quod fecit, sed aliud longè diversum. Quapropter, secundum omnes, confessionis integritati deficeret. Unde fit omnino rejiciendum Remigium ex Clericorum Minor. familia, qui in *sum. tract. 2. cap. 2. §. 6.* sermonem instituens de illo, qui unico ictu decem occidisset, asserit, nec numerum, nec pluralitatem obceptorum teneri in confessione explicare, sed satisfacere, * si se accuset de uno homicidio. * Hoc enim prorsus falsum est, quia unum homicidium, significat occisionem unius hominis, & cum fuerit plurius, non confitetur adhuc confusè peccatum, quod fecit.

8. Fit secundo, falsam esse sententiam, quam cum Verricelli, & Martino de S. Joseph. putavit probabilem D. ana. part. 11. tract. 7. resol. 34. asserentem, eum, qui toto anno statueret non jejunare, vel non audire sacrum, &c. sufficienter confiteri, si dicat: habui propositum non jejunandi, non audiendi sacrum, &c. Et similiter, eum qui habuit, pro obiecto delectationis, plures conjugatas, satisfacere, si dicat, conjugatam habui. Hoc inquam falsum est, quia Sacerdos intelligeret actum voluntatis ad jejunium, vel omissionem sacri unius diei, & similiter ad unam tantum conjugatam delectationem respexisse; ac proinde, nec ille confusè diceret, nec confessorius perciperet, individuum peccatum commissum, sed diversum, nempe voluntatis actum ad unum tantum obiectum terminatum, cum ad plura se extenderet. Quapropter Leander *supra tract. de poenit. disp. 8. §. 3. quest. 20. & 21.* Card. de Lugo *tom. de poenit. disp. 16. sect. 3. num. 141.* & Tamburin. in *Method. lib. 2. cap. 2. §. 4. num. 13.* & alii, qui obceptorum, ad quæ actio terminatur, numerum, vel personarum, quibus iniuria infertur, explicare non obligant, dicunt tamen, pluralitatem explicandam, v. g. Occidisse aliquos, vel

infamasse, vel scandalum eis praeiussisse: & similia statuisse non jejunare pluribus diebus, vel plura omittere sacramenta. Quia, sub hac universalitate, individua peccata commissa comprehenduntur. Quod mihi in hac sententia omnino tenendum videtur, quia verba alia pluralitatem obceptorum, plurimum, non confundunt, sed alia individua indicant, v. g. Si de homicidio se accusaret, cum plures eodem ictu occidisset, vel de animo habendo, cum soluta, cum plures copulas intendisset. Confessarius enim in his, & similibus, unius hominem, & unam tantum copulam intentam percipiet, quae juxta communem modum loquendi, quando pluralitas non exprimitur, unitas peccati dicitur.

9. Secunda conclusio: quoties unica actus plures laeduntur, vel unico actu plura contingunt obiecta, quorum quodlibet ad peccatum grave sufficeret, tam personarum, quam obceptorum numerus in confessione explicari debet. Hæc est communis Theologorum. Cujus ratio desumenda est, ex doctrina à nobis *supra* tradita de distinctione numerus peccatorum *quest. 1. num. 10. & sequentibus.* Ubi distinctionem numericam moralem divinis in rationem, rigore metaphysico, & moralem in propter hominum æstimationem, & de hac tantum loquitur Tridentin. diximus, dum omnia peccata singulim confiteri obligat: quod pluribus exemplis demonstravimus. Sicut ergo ut exibi dictis collat, plura peccata in rigore metaphysico, censeri possunt unum & idem peccatum in morali prudentis acceptione: ita similiter contingere potest, quod unum peccatum metaphysicè loquendo, sit plura moraliter in prudentium morali æstimatione. Unde cum hæc, & non illam pluralitatem Concilium antecessor, cum ad numerum peccatorum explicandum obligavit: planè deducitur, hanc in confessione explicari debere. Talem autem peccatorum pluralitatem contineri in actione una pluribus iniuriis, seu plura respiciente obiecta, modo *supra* explicato, quantumvis in rigore metaphysico unum sit peccatum, nulliusmodò ad hæc tempora Theologorum consensus, qui occidentem tres homines, etiam unico ictu, ad numerum occisorum in confessione explicandum, et diversis principis, obligaverunt. Alii, qui plura malitias, & plura peccata in illo actu considerant, ut Vazquez, Hurtado, & Henriquez. Alii, quia circumstantias notabiliter aggravantes effectibus explicandas censuerunt. Alii, quia iudicant totas consummationes peccati reperi, licet eodem voluntatis actu, & uno ictu, tres occiderent, Alii, quia peccatum, licet unum, pluribus tamen æquivalens, ut *supra* exponendum putarunt, ut M. Sca. M. Arauxo, & M. Bannez locis *supra* citatis.

10. His Thomistis ultimo loco relatis ego assensum consentio, modo *supra* explicatè. Quamquam hæc scripta reperi apud Rever. P. Fr. Franciscum de Jesu Maria Carmelitam Excalceatum bis Districtissimum Generalem ejusdem Ordinis in *Confessione moral. p. 1. tract. 6. de Sacram. poenit. cap. 4. logia moral. p. 1. tract. 6. de Sacram. poenit. cap. 4. puncto 4. n. 69.* Ubi cum Dicastillo, Palao, Molina, Fagundez, & aliis, contra Salas, Vazquez, & alios, probat, in peccato furti, numerum dominorum in confessione declarandum: * Non quia isti, inquam, confessione declarandum: * Non quia isti, inquam, sint plures numero tantum distinctæ malitiæ physice, vel metaphysicè acceptæ, ut putant plures ex his Authoribus: accidentia enim solo numero distincta physice, vel metaphysicè, nequeunt esse in eodem dem subiecto, ut sæpe dictum est: sed quia in eodem

Illo furto multiplicatur numero moraliter, in acceptione morali, malitia iniuste damnificationis unius personæ in bonis fortunæ; malitia iniuste damnificationis alterius: sicut in unico actu detractionis, vel occisionis plurium personarum, multiplicatur numero moraliter, in acceptione morali, malitia iniuste damnificationis. *Quæ magis explicat puncto 1. nu. 5. & sequentibus: dicens, inter alios, id docere eruditissimum Petrum de Tapia in *Catena Moralium*. 2. lib. 3. de vitio, & peccatis, quæst. 4. art. 3. Ex quo principio obligat ad explicandum in confessione numerum occisionum, sive unico, sive pluribus actibus exterioribus, res venerit. *Sunt enim, inquit, plura peccata moraliter loquendo, secundum acceptionem moralem. *Quæ etiam ratione ex doctrina D. Thomæ & Salmanticensium, plures malitias morales non physice, vel metaphysice; sed moraliter acceptas, in eodem actu, tam interno, quam externo, solo numero distinctas reperiri posse & ab omnibus admittendas, optime ibi probat.

§. IV.

Corollaria.

EX doctrina superius tradita infertur, conjugatum peccantem carnaliter cum conjugata unicum peccatum adulterii committere: est enim unicus actus, etsi duplici matrimonio injuriam inferens: & similiter religiosum cum religiosa delinquentem, unicum tantum peccatum sacrilegii contrahere, utriusque voto contrarium. His illationibus dissentire nequeunt Doctores supra citati 3. 4. nu. 1. & 2. qui unico actu plures lædentes unum committere peccatum, constanter defendunt. Et in terminis tradunt M. Zanardus in *Directorio* p. 2. in *explicatione sexti, & noni præcepti*, cap. 3. ibi: *Adulterium dupliciter committitur. Primum inter duos matrimonio junctos, quia vir adulter habet uxorem; & mulier uxor habet virum; & hoc est proprie adulterium, sed unum, quia una malitia intervenit; etsi duæ injuriæ concurrant materialiter, id est, ratione personarum. *Idem sentit Martin. de S. Joseph in *motu Confessor. com.* 1. lib. 1. tract. 11. de Penit. n. 10. *No peccat mas de un pecado numero el casado, que adulterio con muger casada; ni el Religioso, q peccó con Monja; porque peccar con persona del mismo estado, agrava dentro de la misma especie: *Quibus addefr. Ludovicum de Conceptione in *exam. veritatis*, tract. 5. de Penit. casu 5. nu. 10. fol. mihi 444. ubi ait: *Infero sexto, conjugatum rem cum alia conjugata habentem, unum tantum committere adulterium. Quem alii infra citandi sequuntur.

12. Restat verò difficultas circa modum confitendi ejusmodi peccata adulterii. Nonnulli existimant, sufficere de peccato adulterii, vel sacrilegii se accusare, non explicando, an ex parte unius, an utriusque conjugum, vel votum se habeat. Moventur; quia ex una parte peccatum est unum in utroque eventu, utpote unicus actus externus, qui vel unica tantum malitia inficitur, vel si pluribus, non multiplex ideo peccatum fit, juxta superius dicta. Unde, quod uni, vel duobus injuriæ inferat, vel duplici voto opponatur, solum est circumstantia notabiliter aggravans, quam in confessione explicari non debere, est ferè communis Doctorum sententia, ut ex infra dicendis constabit. Deinde, voces istæ *Adulterium*,

& *sacrilegium*; non solum personarum, & objectorum numerum, sed pluralitatem etiam confundunt, ut ex terminis liquet. Ergo individuum peccatum commissum comprehendunt, & sufficienter confusè significant, prout ad integritatem confessionis requiritur.

13. Ideo in terminis sic tradunt P. Sæver. *Confessio*, num. 30. Ferrantinus in *Practica Disput. quæst.* 66. n. 12. & ut probabilem admittit Vazquez tom. 4. in 3. part. quæst. 97. art. 1. nu. 3. & 8. Ubi dicit, debere eam amplecti omnes asserentes, in eodem actu reperiri non posse duplicem malitiam, solo numero distinctam. Cui consentit Fr. Leander à Sacram. *disput.* 8. §. 3. quæst. 54. & legitimam illationem ex principiis Suarez, & aliorum, putat Oviedo t. 2. tract. 6. de Peccatis, contrav. 5. punct. 6. num. 121. Quibus adhaerere videtur Diana 3. p. tract. 4. resol. 164. ubi postquam dixit esse probabile, posse reperiri in eodem actu plures numero malitias; subnectit: *Consequenter in hac opinione debere explicari conjugatum cum conjugata, aut Religiosum cum Religiosa deliquisse. *Ergo sentit esse probabile in contraria opinione non debere. *Quod inquit Leander supra) docere debent, qui affirmant, circumstantiam duplicatam adulterii, aut sacrilegii esse tantum aggravantem, si aliàs sentiant circumstantias aggravantes, non debere in confessione explicari. *Idque tanquam probabile admittit ipse Diana 9. tract. 9. resol. 55. utpote conclusionem deductam ex principio, quod fateretur esse probabile: *Ex eodem, inquit, principio videtur inferri, Religiosum habentem rem cum Religiosa, unum tantum committere peccatum contra religionem, & sufficere, si in confessione dicat, commississe fornicationem sacrilegam, seu contra votum castitatis: nec aliquam video disparitatem inter circumstantiam conjugii tenentis se ex parte utriusque, & voti ex parte eorumdem se tenentis. *Videatur idem Diana 1. part. tract. 7. resol. 29. ubi cum Vazquez sentit aperiè, quod in opinione, quam ipse probabilem judicat, negante plures malitias solo numero distinctas in eodem actu, non est necessitudo, explicare in confessione numerum personarum, quibus fit injuria. Ideoque 3. part. tract. 4. resol. 164. contrariam opinionem, quoad numerum maliciarum amplectitur, ut ex illa probet in peccato conjugati cum conjugata, & Religiosi cum Moniali, duplicem contrahi malitiam, & plura numero peccata in confessione explicanda. Verum quod unum tantum, licet notabiliter gravius interveniat, tradunt ultra citatos M. Petrus de Lede in *Sum. 2. part. tract. 27. cap. 12.* in D. D. Francisco Verde in opusculo pro Caramuele quæst. 4. §. 37. fol. 41. & §. 93. fol. 57. & plures apud illum.

14. Nec dissentiet Doctoribus citatis M. Acacius de Velsco, cum ex una parte unum tantum peccatum intervenire fateatur in una actione plures lædente personas, ut vidimus supra; & ex altera eum, qui pluribus maledixit, asserat satisfacere, si in confessione de una maledictione se accuset, non explicato personarum numero, ut videre licet tom. 1. resol. mor. verb. falso testimonio, num. 5. Quapropter præsentem difficultatem versans, verb. *Luxuria*, resol. 206. proposita parte negativa concludit: *Con toda ay algunos Doctores, que sienten no se debe declarar esta circunstancia en la confession, &c. Deben de ser los que juzgan; que en un acto individuo no se pueden dar muchas malicias numero distintas. *Quorum opinionem implet Velsco quoad maliciarum numerum, ni D. Thom. adversetur, tenere

debet: neque aliter ubi *supra*. verbo, *Falso testimonios excusare possit à numero personarum, quibus illata est injuria, in confessione explicando. Si autem in maledictione poenitens excusatur, nulla congrua reddi potest ratio, cur in adulterio excusari non debeat.*

15. Nihilominus contraria omnino sententia, quae communis est inter Doctores, tenenda est, cum Vazquez, Salas, Navarr, & aliis quos citat, & sequitur Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 3. punct. 3. Quibus adde Suarez, Lugo, Fagundez, Lessium, Candidum, Bonacinam, Trullench, & alios apud Leandrum tract. 8. de Poenit. disp. 8. & Thomas Sanchez, cum Petro Lessima, & Lopez lib. 9. de Matrim. disp. 15. Cujus ratio petenda est ex *superius* dictis. Quamvis enim unum peccatum, vel unicam tantum malitiam physicè, & metaphysicè illi adulterio, vel sacrilegio concedamus; moraliter verò loquendo, duplex peccatum, duplexque malitia moraliter, & in acceptione morali, numero diversa negari non potest. Quapropter jure Thom. Sanchez lib. 9. de Matrim. disp. 15. n. 6. *propè finem* scripsit, de conjugato peccante cum conjugata, idem dicendum, quod de illo, qui duos eodem ictu percussit. Quorum numerum in confessione explicandum, constat ex dictis *sup.* numer. 9.

DISPUTATIO TERTIA.

De circumstantiis peccatorum.

QVÆSTIO PRIMA.

Utrum circumstantia notabiliter aggravantes, intra eandem speciem, debeant in confessione explicari

1. **S**uppono primò ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. & Canon. 7. debere in confessione explicari circumstantias, quae speciem peccati mutant: tales sunt juxta D. Thomam in 4. dist. 16. q. 3. art. 2. quae habent speciem repugnantiam cum ratione, diversam ab ea, quae est in ipso peccato. Vel, ut ait Scotus in 4. dist. 17. quae speciali prohibitionem prohibentur. Unde quoties eadem actio ex motivo duplicis virtutis prohibita est, ut occisio Clerici ex religione: vel ex eadem virtute sub diversa ratione formalis, praecipitur, ut actio ex voto, & ex juramento debita, tunc dicitur in peccato commissionis, vel omissionis contineri circumstantia, quae speciem peccati mutat, & consequenter ex obligatione explicanda in confessione.

2. Difficultas solum est de aliis, circumstantiis, quae speciem peccati non mutant, sed intra eandem speciem malitiam aggravant. V. grat. in peccato furti, quod quantitatis sit viginti aureorum, vel decem tantum; quod delectatio venerea per horam, vel per quadrantes duraverit, & similes. De his igitur circumstantiis, etiam notabiliter aggravantibus, quaerimus, an debeant in confessione explicari?

3. Prima sententia affirmat, quam tenent Alensis, Altisiodor. Dom. Soto, Canus, & alii, quos sequuntur

Swartz hic disput. 22. sess. 3. Henriquez de Presb. libro 2. cap. 7. n. 6. Fagundez lib. 4. in primis praedictis. *electis*, praecip. 2. nu. 10. Thom. Sanchez lib. 2. am. 32. n. 39 & libro 4. cap. 11. nu. 24. Petrus de Lelena de Sacram. Poenit. cap. 19. Joannes à S. Thoma cap. 18. disput. 1. o. artic. 3. Llanas, Coninch, Joannes de Cruz, Petrus Fai, Sylvius, & plures alii, apud Leandrum tom. 1. tract. 7. de circumstantiis aggravantibus. 1. & p. 3. tract. 4. resol. 67. & apud Leandrum tract. 8. de Poenit. disput. 8. quos sequitur M. Arauxo 3. 7. quodlib. art. 5. dub. 3.

4. Secunda, & verior sententia negat, quae tenetur D. Thomas, infra citandus, Scotus, Valentia, Durandus, Paludanus, D. Bonaventura, D. Antonius, Turcremata, Joannes Vignier, Syreth, Tabiena, Armilla, Zanardus, Medina, & immensi alii, quos citat, & sequitur Diana ubi *supra*, disp. tract. 14. resol. 56. Quibus adde Lessium lib. 4. disp. cap. 3. dub. 12. n. 8. Meratium hic disp. 27. Vazquez cap. 91. art. 1. dub. 2. Lugo disp. 16. sess. 3. Dicastillo disp. dub. 3. n. 180. Palao tract. 27. disp. unica. q. 9. Et probabilem vocant ex adversariis Henriquez, Fagundez, & Suarez ubi *supra* sess. 3. n. 15. & innumeri alii quibus assentior.

5. Probo primo auctoritate D. Thomae, qui pluribus in locis, adeo expressè id tradit, ut mirum foret, de eius mente aliquem dubitasse. In 4. sentent. dist. 16. q. 3. art. 2. *quasi* n. 5. *Quidam dicunt omnes circumstantias, quae aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necessarium esse confiteri, immo morae occurrant: alii vero dicunt, quod notandum de necessitate confitendum, nisi circumstantia, quae aliud peccati genus trahunt, & hoc probabiliter.

*Et dist. 22. *quasi* 1. art. 4. *Ad secundum dicendum, quod quantitas culpae, quae est ex specie peccati, debet innotescere Sacerdoti per confessionem, notamen oportet de quantitate, quae est ex circumstantiis quibuscumque, ut *supra* dictum est. *Et iterum in secundo scripto super lib. sentent. dist. 16. art. 3. *Circumstantia, quae novam rationem peccati moralis addit, de necessitate est confitenda, alia autem non.

*Quae autem debeat esse nova haec ratio peccati mortalis, explicat ad 2. dicens: *Sufficit cognoscere

Sacerdos quantitatem quae ex nova specie conungitur. *Et ad quintum: si talis circumstantia non trahat aliud genus mortalis, non est confitenda. *Quorum tradit in eodem secundo scripto dist. 22. art. 2.

*Ingratitudo, inquit, non trahit in aliud genus peccati, ideo nec confitenda. *Et in fine ad secundum argumentum, quod erat ejusmodi: *Per confessionem debet Sacerdoti manifestari quantitas culpae, &c. *respondet sic: *Ad secundum dicendum, quod verum est de quantitate, quae conungitur ex nova specie peccati, non de quantitate, quae est ex circumstantiis quibuscumque. *Denique hanc sententiam tenet D. Thom. apud scilicet. *quasi* 6. ubi respondens cuidam Lectori B. Iustino. licet. *Hypothetice

circumstantias aggravantes, quae non trahunt in aliud genus peccati, non credo, quod aliquis cogatur confiteri. *Et infra. *Quod autem dicitur circumstantias, quae non trahunt in aliud genus peccati, non esse de necessitate confitendas, non est referendum ad numerum, quem aliquis confiteri tenetur, sed ad materiam, quia jam non est unum peccatum, sed multa.

6. Tot ex D. Thomae congesti loca, ut evidente appareat, dubitari non posse, secundum circumstantiam, non esse obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, sed eas solum, quae peccati speciem mutant. Adde enim expressè loquuntur